A patres audierunt: Et cum fremitus indignantium tota curia eſſet; & præcipuè Manlius, eſſe etiam nunc ſtirpis ejus virum diceret, ex qua quondam in Capitolio Conſuli minatus eſſet, quem Latinum in curia vidiſſet, cum ſua manu ſe interfecturum: Q. Fabius Max. nunquam rei ullius alieniore tempore mentionem factam in Senatu dixit, quàm inter tam ſuſpenſos ſociorum animos incertamque fidem, id tactum, quod inſuper ſolicitaret eos. Eam unius hominis temerariam vocem ſilentio omnium extinguendam eſſe: & ſi quid unquam arcani ſanctive ad ſilendum in curia fuerit, id omnium maximè tegendum, occulendum, obliviſcendum, pro non dicto habendum eſſe. Ita ejus rei oppreſſa mentio eſt: ſed ex eo maximè adverſo rumore Carvilius fuit, quòd peregrinos in Senatum inducendi auctor fuiſſet.

Sed quid veterum Romanorum exempla obſoleta ævo quærimus? minimæ hodie quæque civitates pari modo ac jure Rempublicam ſuam adminiſtrant. Venetiis equidem, Genuæ, & in aliis Italiæ liberis urbibus, Argentorati, Norimbergæ, Auguſtæ, Francfordiæ, Magdeburgi, inque aliis Germaniæ civitatibus, & tredecim Helvetiorum plagis, mos hic religioſiſſimè
B obſervatur, ne ad munia Reipublicæ peregrini admittantur. Imò plerique advenis apud ſe habitandi poteſtatem non faciunt. Durius id quidem fortaſſis & inhumanius: quando φιλοξενίαν Deus toties commendat, & eò nos natura ducimur.

Lex Salica (quæ in Gallia & Germania obſervatur) non tantùm ſcripta eſt ad mulieres regni hæreditate arcendas: ne videlicet propter infirmitatem conſilii, ſummum Imperii obtineant, quippè in maribus ſępè par eſt indignitas: Sed ob id potiſſimùm lata videtur, & perpetuo omniſi ætatum uſu confirmata, ne per connubia & affinitates peregrini ad regni ſucceſſionem ſibi aditum facerent. Intolerabilius enim multò eſſet Gallis, externi Regis imperio ſubjici, quàm Gallicæ ſtirpis Reginæ: adeò peregrina dominatio Gallis inviſa eſt. Deinde latiùs ſerpit hoc malum. Nam Princeps externus ſuos honoribus augere, quàm indigenas mavult; & ea re offenſis popularium animis, turbæ, ſeditiones, bella naſcuntur: Quæ non tantùm Reipublicæ detrimento, & populi ſanguine, ſed etiam ipſius Principis nonnunquam pernicie expiantur.

Inſigne & domeſticum ejus rei exemplum Annales noſtri
C ſuppeditant, in anno 607. Brunechildis, Hiſpana mulier, Galliæ Regina vidua Longobardum quendam, Protadium nomine, quem in deliciis habebat, Palatii magiſtrum ſeu Præfectum (id eſt, totius regni procuratorem) conſtituit. Is ubi videt eò ſe Reginæ gratia provectum, Principes & proceres regni præ ſe deſpicere, atque ultra variis artibus ludificari cœpit. Tum inexhauſta auri cupidine ardens, manubiis & rapinis miſeros Gallos adeò exercuit, ut nobilium juxta ac plebis odio flagraret. Eo fortè tempore Theodebertus & Theodoricus, Brunechildis filii, de imperio & opibus certabant; quos in concordiam redigere proceres, utriuſque vaſalli, ſumma ope cum niterentur, Protadius obnixè impediebat. Itaque cum illi jactura unius advenæ, qui unus pacem morabatur, bellum inteſtinum finire, quàm tot viros nobiles mutuis ſeſe cladibus atterere, ſatius ducerent, Protadium obtruncant. Hujus Longobardi exitus, Longobardis, qui hodie Galliam pro libidine verſant, ſi ſana mens eſſet, documento eſſe poterat.

Ludovicus Pius, Caroli Magni filius, regii Præfecti dignitate Bernardum quendam, Hiſpanum, ornarat. Quem immodicè ſeſe efferentem, cum tres Regii adoleſcentes, Lotharius, Ludovicus, Pipinus, impatientes æmuli, ferre non poſſent,
D in ipſum Regem & patrem iram convertunt. Itaque conjurati adversùs patrem filii, captivum Ludovicum, ad Sueſſiones ductum, abdicare ſe Galliæ regno, & Germaniæ Italiæque imperio, coegerunt. Sed eum Galliæ & Germaniæ proceres ex S. Marci Sueſſionenſis monaſterio eductum, in quo abdicato magiſtratu, velut in cuſtodiam, conditus erat, filiis cum patre in gratiam reductis, priſtinæ libertati & dignitati reſtituerunt. Veruntamen tantum diſcrimen dedecuſque nunquam adiiſſet nobiliſſimus Rex atque Imperator, niſi nimia facilitate & imprudentia lapſus, peregrini hominis faſtigium ſupra populares & indigenas extuliſſet.

Martinus Bellajus, Eques auratus, vir prudentia atque uſu E
rerum præſtantiſſimus, *Comment. lib. 1.* dicit, Franciſco I. in Galliis regnāte, rebus Gallicis multò plus illatum eſſe detrimenti à peregrinis, qui ab ipſo ad hoſtem deſciverunt, quàm ab ulla vi, aut alia cauſa. In iis autem præcipuè numerat Epiſcopum Leodienſem, Principem Aurengium, Marchionem Mantuanum, Andream Doriam Genuenſem, Hieronymum Moronem (qui Mediolanenſes ad defectionem impulit) & aliquot item alios. In ſumma, officia perrarò in Galliis ad peregrinos delata legimus, niſi quòd paucis abhinc annis, ad ampliſſima quæque aſpirare juſſi, in quodlibet altum faſtigium neſcio qua arte crepſerunt. Nam olim Centurionatus fortè illis, & Tribunatus militum mandabantur, ut eo nomine plures in ſuis terris milites Regi ſcriberent. *Antimachiavellus lib. 1.*

* MERITA EXTERORUM.

Apud pleroſque demerita & invidiæ ſubjecta.

Xantippus miſſus à Lacedæmoniis, ut opem ferret Carthaginenſibus, qui à M. Atillio Regulo maximas clades acceperant, cum feliciter viciſſet Romanos exercitus; & Marcum ipſum ſuperatum prælio vivum cepiſſet, bello confecto, domum
F rediit; metuit enim, ne apud gentem peregrinam propter ſucceſſus in odium veniret. *Valerius Max. lib. 9. cap. 6. pag. 785. ita de eodem refert.* Verùm ut ipſum fontem perfidiæ contemplemur, Carthaginenſes Xantippum Lacedæmonium, cujus optima opera primo bello Punico uſi fuerant, & quo juvante Attilium Regulum ceperant, ſimulantes ſeſe domum revehere, in alto merſerunt. Quid tanto facinore petentes? annon victoriæ eorum ſocius ſupereſſet? Exſtat nihilominùs, & quidem cum opprobrio, quem ſine nulla gloriæ jactura inviolatum reliquiſſent.

Militaverat exercitus Sarracenicus apud Heraclium contra Perſas. Et quia ſtipendia non dabantur, defecit ab Heraclio. Ajunt & contumelia irritatos eſſe, cum Heraclii Quæſtores dixiſſent, ſe vix poſſe Romano & Græco militi ſtipēdia dare: nec tantum ſe habere pecuniæ, ut huic canum turbæ ſatisfacerent.

Lacedæmonii bello, quod gerebant cum iis qui erant Ithomæ, in longum eunte, evocaverunt cum alios ſocios, tum verò Athenienſes, prout & ierunt, Cimone duce non exiguis cum copiis: ob id autem maximè evocati, quòd præcipui videbantur in pugna murali, quòdque conſtabat, diutina in obſidione iſta re opus eſſe, atque ita vi oppidum capi poſſe. Quod & fuiſſet, G
verùm ex hac primùm expeditione inter Lacedæmonios Athenienſeſque diſſenſio palam facta eſt. Lacedæmonii etiam cum oppidum vi non caperent, reformidarunt Athenienſium tum audaciam, tum ad res novandas animum: ſimulque ſuſpicantes, ne quid peregrini, ſi permanerent, ab iis qui Ithomæ erant, ſolicitati, molirentur novi; ſolos omnium ſociorum dimiſerunt ſuſpicione diſſimulata, tantùm negantes, ſe illorum opera ampliùs egere. Athenienſes haud neſcientes, non ſe meliore cauſa miſſos fieri, ſed ſuſpicione aliqua, graviter acceperunt: nec ita de Lacedæmoniis meritos ſe eſſe exiſtimantes, ut iſta paterentur, cum primùm reverſi ſunt, ſocietatem ſolverunt cum Lacedæmoniis Medico bello contractam, inieruntque eam cum Archivis illorum hoſtibus: & inter utroſque adversùs Theſſalos quoque ictum eſt fœdus. *Thucydides libro 1.*

De Alexandro Farneſio Parmæ Principe, & Belgicæ noſtræ Prorege fortiſſimo, ac vero ſui ſæculi & Belgici ſoli Alexandro, notiſſimum eſt, quàm parum favoris & benevolentiæ pro tot exantlatorum laborum meritis apud Hiſpanos detulerit, ſub vitæ & imperii occaſum. Sic ut factione quorundam malevolorum, apud Catholicum Regem improbè traductus, H
pro trophæis quæ maxima ei competebant, tot tantiſque cum in Gallia, tum in Belgio victoriis relatis, ſummam indignationem contra ſe ſe expertus fuerit. Cæterùm ut naſcenti, ita in ſummo rerum faſtigio poſitæ illius Fortunæ omnis Invidia impar fuit. Siquidem prudentiæ fortitudiniſque illius ſplendor vitæ finem, & gloriæ perennitatem dedit: ejuſque memoriam inter maximorum heroum imagines Urbs urbium Roma, erecta eidem in capitolio ſtatua, conſecravit. Ejus verò Epitaphium honorarium require *inter Epitaphia Principum & Heroum.*

Finis Litteræ E.

THEATRI VITÆ HUMANÆ,

AUCTORE

LAURENTIO BEYERLINCK, ARCHIPRESBYTERO ANTVERPIENSI,

Littera F.

** Aſteriſci Titulis, ſive Generalibus, ſive Secundariis, Rebuſve ſub iiſdem contentis præfixi, poſterioris Auctarii ſunt indices.*

* FABRILIS ARS.

A

Quis primum invenerit?

Fabrilis Artis inventionem, & primum uſum, ſacræ Litteræ attribuunt Tubalcain, filio Sellæ & Lamech; de quo ita Moyſes: Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator & faber, in cuncta opera æris, & ferri. Hebræa ad litteram dicunt: Qui fuit acuens, hoc eſt, expoliens omnia opera æris, & ferri. *Geneſ. c. 4.*

B *Reliqua petantur ex loco de Artibus Mechanicis.*

* Fabula.

QUID, ET ACCEPTIO NOMINIS VARIA.

Fabula à fando dicta, Μῦθος Græcè, ſermonem de re pervulgata, vulgari acceptione ſignificat. Accipitur communiter pro narratione rerum, quæ nec veræ ſunt, nec veroſimiles, ad delectationem & utilitatem inventa. Sic hanc
C vocem *Horatius* uſurpat *in Serm.*

Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur.

Cæterùm fabularum quædam ſunt ex ſuo genere velut ridiculæ, merum figmentum proponentes, at ſimul ſub eo morale aliquod dogma tenentes, quales ſunt Fabulæ Æſopo Phrygio adſcriptæ, quamvis ille eas ab Heſiodo mutuaverit; & dicuntur Apologi. Aliæ ſunt quæ ſub nomine Comœdiarum, & Tragœdiarum circumferuntur: & varia ſortiuntur nomina pro habitu & qualitate perſonarum, quæ in iis introducuntur. Secundùm varia argumenta quæ per Fabulas
D proponuntur, varietatem ſuam etiam habent. Quædam enim naturæ opera ſub allegoriis continent: aliæ humanarum calamitatum ſolatium: aliæ terrorem adferunt, vel depellunt.

Apud authores ſæcularium literarum, ut apud Horatium, mus loquitur muri, & muſtela vulpeculæ, ut per narrationem fictam ad id, quod agitur, verax referatur ſignificatio: unde & Æſopicas fabulas ad eum finem relatas, nullus ineruditus fuit, qui putaret appellanda mendacia. Sic in ſacris libris, ut in libro Judicum, quum ligna ſibi regem fecerunt, E
& loquuntur ad ficum, & ad vitem, quod totum fingitur: ficta quidem narratione, ſed veraci ſignificatione hæc dicuntur. *Aug. de contr. mendacium.*

Fabula etſi vim veritatis non habeat, tamen rationem habet, ut juxta eam poſſit veritas manifeſtari. Referunt, inquit, ſeculares, virum quendam fuiſſe, ut quoties beneficio virium ſuarum deſtitutus, & amicam & nutricem terram impulſu adverſarii contigiſſet, de ſolo ſurgens, magis in adverſarium prævaleret; & ſic occaſio proſtrati, occaſio fiebat triumphi. Dabat infirmitas fortitudinem, lapſus palmam, ruina victoriam. Cui hæc conveniunt, niſi Chriſto, qui ad hoc cecidit, ut F
glorioſior reſurgeret? *Amb. lib. 3. de Offic.*

QUARE INVENTÆ.

Fabulæ non ſunt res factæ, ſed tantùm modo loquendi dictæ: quæ ideò ſunt inductæ, ut ficto animalium mutorum inter ſe colloquio, imago quædam vitæ hominum naſceretur. Sicut mus loquitur muri, muſtela vulpeculæ; & in libro Judicum, ligna ſibi regem requirunt: quod totum ad mores ordinatur, ut ad rem, quæ intenditur, ficta quidem narratione, ſed veraci ſignificatione perveniatur. Sic enim *Demoſthenes in quadam oratione* uſus eſt fabula adversùs Philippum, qui ab Athenienſibus poſtulavit decem oratores; & ille finxit fabulam. Lupi ſuaſerunt paſtoribus, ut in amicitiam convenirent: cumque hoc G
paſtoribus placuiſſet, petierunt lupi, ut prima ſibi vice ſecuritatis canes traderent, in quibus videbatur occaſio jurgiorum: annuerunt paſtores, & tunc lupi omni adempta formidine, omnem gregem non ſolùm pro ſocietate, ſed etiam pro libidine laceraverunt. Sic, inquit Philoſophus, ſublatis oratoribus in populo Athenienſium facturus eſt. Oratores populi poſtulat, quò faciliùs poſſit opprimere ſpoliatum cuſtodibus urbem. *Iſidor. lib. 1. Etymolog.*

De hac re, & Fabularum energia, hæc ſcripta reliquit

Philostratus: Interrogante ſocios Apollonio: An vo- H
bis aliquid ſermo fabuloſus eſſe videtur? Et profectò, reſpondit Menippus; hunc enim laudant & ſequuntur Poetæ. Æſopum verò quid eſſe cenſetis? Poetam, inquit ille, planè, fabuloſum. Quaſnam verò è fabulis ſapientes eſſe putatis? Certè, inquit Menippus, quæ poetarum ſunt, quia cum factæ non ſint, tamen ut factæ decantantur. Æſopi verò, inquit

A Ap. quales vobis videntur eſſe fabulæ? Ranæ, inquit Menippus, & aſini, atque ejuſmodi nugæ, pueris aniculiſque obtrudendæ. Ego verò, inquit Ap. accommodatiores ad ſapientiam cenſeo Æſopi quàm cæterorum fabulas. Quæ enim de heroibus conficta ſunt, de quibus tota eſt materia Poetarum, audientium aures corrumpunt, illicitos ac nefandos eorum amores referentes, ceu fratrum, vel ſororum nuptias, & in Deos calumniam, & filiorum ejus; atque illi ne reales aſtus, & mutuas altercationes. Hæc enim cum veluti geſta proferantur à Poetis, homines ad amorem & zelotypiam inducunt, divitiarumque ac regni cupidinem, ad quæ fabulæ incitant. Æſopus autem ſapientiæ cauſa primò quidem talia dicentes non eſt ſecutus, ſed viam quandam propriam adinvenit. Deinde, tanquam ii qui vilioribus cibis pulchrè convivas excipiunt, ex rebus parvis magna quædam intelligi facit, & fabuloſo ſermone propoſito, ex ipſo, quid agendum ſit, aut non agendum, oſtendit. Quapropter veritatem magis etiam quàm cæteri Poetarum videtur attingere. Illi namque quaſi per vim probare nituntur, vera eſſe quæ à ſe dicantur: iſte verò ſermonem præponens, quem ita, ut eſt, fabuloſum eſſe quiſque novit, aliquid verè dictum de
B rebus non veris eſſe demonſtrat. Præterea Poetæ cum ſuam narraverint fabulam auditoribus, vera necne ſit, inquirendum relinquunt. Is verò ſermonem falſum quidem referens, & morum præcepta ex eo trahens, alicujus utilitatis cauſa loquendi falſitate ſenſum eſſe demonſtrat. Illud inſuper in Æſopo eſt, quòd res orationis expertes loquentes inducit, & quæ ſeriò ab homine agenda ſunt, operantes, quibus homines à pueritia aſſueti, atque ab incunabulis ipſis enutriti, opiniones aliquas jam inde ab initio de ſingulis animalibus concipiunt, ut ſint eorum quaſi quædam regalia, quædam ſtolida, quædam verſuta, quædam ſimplicia, *l.5.c.5.*

Etiam audiendus Phœdrus *lib.2. de præfatione.*

Exemplis continetur Æſopi genus,
Nec aliud quidquam per fabellas quæritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque ſeſe diligens induſtria.
Quicumque fuerit ergo narrandi locus,
Dum capiat aurem, & ſervet propoſitum ſuum,
Recommendatur, non auctoris nomine.

Idem Phœdrus, *lib.3. præfat.*

C *Nunc fabularum cur ſit inventum genus*
Brevi docebo. Servitus obnoxia,
Quia quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit jocis.

Igitur fabulæ neceſſariæ & perutiles ſunt, ut ſint imbecillitatis noſtræ velut adminicula, & ut dicentem & audientem in rem præſentem adducant. Eſt enim veri repræſentatio fabula: & ut Democrates medicus Conſidiæ mulieri omnem curationem auſteram recuſanti, lac caprarum dedit, quas lentiſco paſcebat; ſic iis qui prorſus à tetricis Philoſophiæ præceptis abhorrent, amœniores fabellę proponendæ; ſed quæ doctrinam moralem occultent, & ingenerent.

USUS APUD AUCTORES SACROS.

In hiſtoria ſacra *Iudicum c.9.* legimus, Abimelech filium Jerobaal, poſtquam occiſis LXX. fratribus ſuper lapidem unum, conſtitutus eſſet Rex in Iſrael, Joathan fratrum minimus, qui abſconſus in aliorum cæde fuerat, ſteterit in vertice montis Garizim, elevataque voce clamarit, & apologum de arboribus adhibuerit, adduxeritque olivam, vitem, rhamnum, & plura alia,
D ut conſtituerent ſuper ſe regem: eaque ratione viris Sichem inſinuavit, quàm malè feciſſent, conſtituendo ſuper ſe Abimelech Regem, & occidendo fratres ſuos.

Amaſias quoque miſit nuntios ad Joas Regem, qui dicerent: Veni, & videamus nos. Verùm remiſit Joas ad Amaſiam Regem Juda, dicens: Carduus Libani miſit ad Cedrum, quæ eſt in Libano, dicens: Da filiam tuam filio meo uxorem: tranſieruntque beſtiæ ſaltus, quæ ſunt in Libano, & conculcaverunt carduum. Percutiens, invaluiſti ſuper Edom, & ſublevavit te cor tuum: contentus eſto gloria, & ſede in domo tua: quare provocas malum, ut cadas tu & Judas tecum? 4. *Reg. c.14.*

Fabellæ etiam cujuſdam ſimilitudinem adduxit coram Davide Nathan Propheta, qua admiſſi ſceleris magnitudinem oculis ſubjecit; dum nempè propoſuit illum, qui viri pauperis ovem maximè dilectam occiderat: quem proinde David virum mortis, ac ſub eo ſemetipſum dignum morte pronuntiavit. 2. *Reg.c.12.* Neque enim ad conſtituendam fabulam neceſſariò adhibendæ res inanimatæ, quibus functiones animales attribuantur. Veteres quoque Eccleſiæ Doctores nonnunquam Apologorum involucris doctrinam, quam tradere intendebant, obvoluerunt, eoſque utiliter adhibuerunt: ita *D. Hieronym. lib.1. epiſt. ad Salvia. & Marcell. Auguſt. lib. 2. cont. Academicos c.3. & lib. cont. mendacium c.13. D. Baſilius epiſt.80. ad Euſtathium propè medium:* & alii. E

PROFANOS.

Æſopi Apologi commendantur paſſim à facilitate, & moralium dogmatum tegumento; eſtque eorum frequentiſſimus uſus. Prodiere in lucem ſoluta & ſtricta oratione, adjuncto cuilibet ſuo morali. Laudant eos, *Quintilianus lib. 1. cap.14. Ariſtot. lib.2. Rhetor. c.20. Aphthonius in Progymnaſmat.*

Apud Platonem in Phædro, Socrates inducitur confitens, quòd multas illius fabulas jam ſenior memoria retineret.

Apud Laertium, Demetrio Phalereo λόγων Αἰσωπείων συναγωγαὶ, inter ipſius opera præclara tribuuntur.

Svidas verò cùm eum laudaſſet, dicit, adeò gratum extitiſſe diis, ut magnorum Heroum inſtar ab inferis fuerit revocatus. De Æſopi laudibus & laudatoribus legatur *Serarius in cap.9. Iudic.* Selectiores omnium veterum Poetarum fabulas velut in unum faſciculum redegit Ovidius 15. Metamorphoſeon libris, & ſub iis velut imaginibus humanas res illuſtravit, & depinxit; ut in quibus perfectè fieri, quod Poetis Horatius adſcribit, dignoſcitur: F

Aut prodeſſe volunt, aut delectare Poetæ:
Aut ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ.

Quod multis argumentis deducit *Iacobus Pontanus in libello quem* παραδειγματικὸν inſcripſit. Illuſtravit autem eas fabulas Gregorius Sabinus Poeta.

FABULÆ JUDÆIS USITATÆ.

Judæi nonnullas fabellas velut per traditionem habent, quibus Chriſtianos intendere vetat *S. Paulus 1. ep. ad Timot. cap.1.* iiſque illi velut excæcati inflabantur, & ſuperbiebant; ideòque eas vocat Paulus, Judaicas inflationes. Talis fabula erat, quam ex S. Auguſt. Beda commemorat, Adamum duas habuiſſe uxores, è quibus Judæi texunt genealogias interminatas. Talis eſt de bove & ceto creatis initio mundi; tantumque illum eſſe, ut quotidie mille montes depaſcatur: eoſque ſervari in adventum Meſſiæ, ut cum eo ex illis epuletur. Tertia, quòd tempore Meſſiæ Judæa proferet panes coctos, veſteſque ſericas cuilibet Judæo accommodatas. IV. Quòd Deus quotidiè lacrymam emittat, quòd permiſerit ſuam gentem exſcindi. Et alia his ſimilia. Vita de Og Gigante, cujus unum pedem comminiſcuntur fuiſſe CXX. cubitorum Giganteorum, lectumque ejus facile leucam occupaſſe. Plures collegit Sixtus Senenſis. G

MAHUMETANORUM.

In libro Religionis Mahumetanæ, quem Curaam vocant, plura reperire eſt commenta, & deliria fabularum, quibus ineſcantur illius ſectæ & impietatis ſectatores. Imò vix ullum præceptum habent, quod non nitatur alicui figmento: v.g. præceptum habent de non occidendo, atque illam malitiam à Cain irrepſiſſe in mundum docent: ſed addunt, ipſum Cain fore primum, qui in infernum protrudetur in die judicii, eumque alios homines ſecuturos: Item Deum maledicendo Cain, ſimul omnibus homicidis maledixiſſe.

Avaritiam quoque deteſtantur, & de ea fabuloſam hanc narrationem tradunt. Ajunt, Moyſen in monte Sina à Deo revelationem accepiſſe, ut ſi ſcire vellet, quem hominem maximè Deus deteſtaretur, primam civitatem, quæ occurreret, intraret, atque in ea caſam cujuſdam Eremitæ, Bauſezzam dicti, qui aſſiduè legeret, & decimo quoque die in publicum prodiret. Ab H eoque Moyſen edoctum fingunt, avaritia nullum Deo magis deteſtabile vitium exiſtere.

Circa peccatum gulæ aliam fabellam habent, de Eremita, qui cùm herbis nimiùm ſe ingurgitaſſet, à Satana correptus fuerit, & in plura mala inciderit.

Acediæ vitium ex otio diabolico autumant profectum: & referunt fabulam de Rege, qui vixit tempore Mahometis. Hic enim cum animum ignavum paſceret deliciis, fortè Angelum per tecta volitare humana ſpecie vidit; percontantique cauſam, quid ibi rerum ageret, ille ſe curam gerere Camelorum ſuorum, quos perdiderat, reſpondit. Cumque hic diceret, perperam & ſtolidè eos perquiri in tecto, ac proinde furum potiùs eſſe, aut latronum iſtiuſmodi diſcurſum, & aſcenſum per faſtigia tectorum, abſque ſcalarum adminiculo: Protinùs ille, Multo difficilius, ait, tibi fuerit ſine alis in Paradiſum evolare; atque his dictis diſparuit. Tum Rex ſecum, quæ audiverat & viderat, animo perpendens, oſcitantiam excuſſit, & in munere ſuo ſedulum ſe præſtitit.

Circa

A Circa defunctos anilia hæc figmenta obtrudunt, cadaveri in tumulum illato ſtatim adeſſe binos Angelos, quorum alterum Mechir, alterum Remonchir nominant; qui manu ardentes faces vibrent, & mortuum de vita anteacta examinent, pro meritis vel demeritis pœnam infligant, vel præmium promittant.

Neque magis ſeria, quæ de reſurrectione mortuorum ad vocem buccinæ, quam Iſraphil Angelus inflaturus eſt, facienda: Item de animarum in Paradiſo felicitate, quam in ſelectiſſimarum conjugum libero & perenni uſu collocant, vel maximè fingunt. Fabulantur autem, Moyſen, Chriſtum, & Mahometem, in Judicio comparituros, & quemlibet ſub ſuis ſignis collecturum eos, qui legem ſervaverint. Cæteros omnes æterno exitio multandos, pœniſque inferni, quas fingunt atrociſſimas, cum ignis, tum tranſitus difficillimi per binas montium fauces, pontis denique è ferro acutiſſimo conſtructi, quem Draco cuſtodiat, tranſmeationem; & ejuſmodi figmentorum infinitus apud eos eſt numerus. Legat Lector, qui plura deſideraverit, Philippum Lonicerum *de rebus*
B *Turcarum.*

Faceti, Facetiæ.

Conſule Tit. de Vrbanitate. Ibi Faceti varii, puta Populi Principes, Plebei. Item qua occaſione faceti, &c.

* ¶ DEFINITIO ET ETYMOLOG.

FAcetia, Gr. εὐτραπελία, & εὐτράπελος, facetus dicitur. Eſt autem facetus, qui facit verbis, quod vult, dictus à facio, vel ut aliquibus placet, à fando, unde facetiæ. Vel ſic.

Facetus eſt elegans in dicendo, & delicias & divitias quaſdam ſermonis habens, quæ facetiæ dicuntur; unde facetè adverbium, hoc eſt, excultè, eleganter, urbanè.

¶ APOPHTHEGMATA ET EXEMPLA ETHNICA.

CRATES à magiſtratu objurgatus, quòd contra leges & conſuetudinem Athenienſium ſindone veſtiretur, ait: Quid ſi Theophraſtum vobis oſtendam ſindone amictum? Adduxit igitur eos in tonſtrinam, oſtenditque Theophraſtum, qui
C tum fortè tondebatur, linteo amictum, quod Græci à contegendis humeris ἀμόλινον vocant, ſubmonens faceto reſponſo, omnibus ad uſum uti licere. Turpe enim ac inhoneſtum ſi eſſet uti linteis, ne in tonſtrina quidem uſus eſſet. *Laert. lib.7. c.5.*

ARISTIPPO philoſopho cum probroſè objiceretur à quodam, quòd haberet Laidem meretricem: Quid tum, ait, ſi modò non habeor à Laide? *Cic.*

Socrates, Cuidam dicenti, Antiſthenem philoſophum matre Threicia natum eſſe, patre autem non tam barbaro, ſed Athenienſi: Quid, inquit, an tu putas, virum adeò præclarum ex utroque parente Athenienſi naſci potuiſſe? Facetè vir ſapientiſſimus notavit corruptos Athenienſium mores, indicans, potiùs è Thrace, Scythave naſci poſſe virum ac præclarum, quàm ex Athenienſi: & hoc igitur quod habeat virtutis Antiſthenes, matri Hybridi potiùs aſcribendum, quàm parenti. *Laert. in ejus vita. Eraſm. lib.3. apophthegm.*

Alcibiades Socrati miſerat munus præclarum. Id quum Socrates videretur recuſare, Xantippo diſſuaſit, aſſeverans, donum eſſe magnificum, & indignum quod reſpueretur. Tum Socrates: Alcibiades, inquit, hæc mittit ambitioſè, & nobis noſtra eſt
D ambitio. Sentiens, interdum eſſe magnificentius magna contemnere, quàm magna largiri. *Eraſ. lib. opoph.*

Quum Alcibiadi Athenienſi balneator plurimum adminiſtraret aquæ, Lacon id videns: Quid hoc rei eſt? inquit, plus aquæ infundit, quaſi non puro, ſed vehementer ſordido. Hoc ſcommate notavit Alcibiadis vitam, multa infamia contaminatam. *Plut. in Lacon.*

Subito oborto ſolis defectu, cum Pericles Athenienſis videret alios multos, ſed præcipuè claſſis gubernatorem, vehementer perturbatos, chlamyde ſua texit gubernatoris faciem, interrogavitque: Nunquid hoc horrendum oſtentum exiſtimaret? illo negante: Quid intereſt, inquit, igitur, niſi quòd chlamyde majus eſt, id quod huc tenebras inducit? Senſit vir prudens, interventu lunæ nobis abſcondi ſolem, quemadmodùm oppoſita chlamys impediebat aliorum aſpectum; nullum autem eſſe oſtentum, quod natura fit. *Eraſ. l.5. apoph. Plut. in Græc. apoph.*

PORROH cum ſororem Philiſtiam vehementer objurgaſſet, malè audivit eam ob cauſam, quòd oblitus eſſet ſuæ profeſſionis (docebat enim, omnia eſſe indifferentia.) Verùm maledicentium improbitatem ſic eluſit, cum diceret: In muliercula non declarari indifferentia. *Laert. lib.9. c.11.*

DIOGENES ad puerum ſpurium, ex meretrice natum, lapil- E los jacientem in populum: Cave, inquit Diogenes, ne patrem ferias: Erat enim è ſcorto natus, atque ob id incerto patre. *Laert. lib.7. c.2.*

Idem, cum furem purpuræ comprehenſum vidiſſe, carmen Homericum in eum detorſit: Τὸν λάβε, inquit, πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή.

Id eſt.

Te mors purpurea apprendit, violentaque Parca. Laert.

Idem, aliquando ſtipem poſcens, ita ἐρανάρχην, id eſt, eum qui ſtipi erogandæ erat præfectus, Homerico carmine compellavit.

Τοὺς ἄλλους ἐνάριζε, ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχε χεῖρας.

Id eſt,

Diſpolia reliquos, teneas ſed ab Hectore dextram.

Dicti autem hujus feſtivitas in hoc eſt, quòd pro ἐράνιζε dixit ἐνάριζε: quorum priùs eſt, da ſtipem: alterum, armis ſpolia, ſe Hectoris nomine ſignans. Spoliat autem, qui munus denegat pauperi & egenti. Et ſolet hoc hominum genus eſſe furax. *Ibid.*

Idem, cùm hominem, qui in Olympiacis certaminibus ſubinde pugnare ſolitus erat, inveniſſet oves paſcentem: Quàm celeriter, inquit, vir fortiſſime, ab Olympiis ad Nemea te contuliſti? Alluſit autem quàm facetiſſimè ad vocum affinitatem: νέμεα quippè certamina à loco dicuntur, ut Olympia: Νέμω verò Græcis paſco ſonat, & νέμος, paſcua. *Laert. l.6. c.2.* F

Idem Corintho vendendus, interrogante præcone, quidnam calleret? reſpondit, Hominibus imperare. Riſit præco, & Magnum (dixit) artificem vendo, ſi quis ſibi dominum velit emere. *Stob. ſerm.1. de Prudentia.*

Idem videns vetulam quandam nimis comptè incedere: Si, inquit, ad vivos properas, falſa es: ſi ad mortuos, ne cunctare. *Ant. p.2. ſer.18. Meliſſa. Max. ſer.41.*

ALEXANDER ſenem quendam capillos inficientem intuitus Noli, inquit, capillos tingere, ſed genua hæc incurva potiùs ut faciliùs & promptiùs eas. *Max. ſer.41.*

Quidam aſpiciens Lacedæmonium quendam claudum ad bellum exeuntem, cum ei equum veluti debili neceſſarium quæreret: Non intelligis, inquit Ageſilaus, in bello opus eſſe qui fugiant, ſed qui loco maneant. *Plut. in Lac.*

Idem jam ſenex, perſæpè ſine calceis & tunica prodibat in publicum, cum lacera veſte; idque matutino tempore hyemis. Cum autem quidam eum objurgaret, quòd pueriliùs ageret, quàm ætatem deceret, reſpondit, Juniores civium, ſi G veſtem virilem induam, omnes oculos in me conjicient. *Ælianus lib.7. de var. hiſtor.*

Idem ex Aſia diſcedens, ajebat ſe triginta ſagittariorum millibus à rege Aſia depelli; tot enim Daricorum aureorum millibus (Perſarum autem hi nummi aurei ſagittarium habebant inſculptum) Athenas ac Thebas deportatis, ac in plebis moderatores diſtributis, Timocrates effecerat, ut populus hoſtilem animum adversùs milites ſuſciperet. *Plut. in Lac.*

MENEGRATES quidam medicus, cum fortè ægrotantes aliquot liberaſſet à morbis, ſibi Jovis nomen inde adſcribi paſſus eſt. Tandem verò epiſtolam ad Ageſilaum regem ſcribens, eam ſic exorſus eſt: Menecrates Jupiter Ageſilao regi ſalutem. Verùm rex cum hominis ſtultitiam eſſet admiratus, hunc in modum reſcripſit: Rex Ageſilaus Menecrati planè ſanitatem. Facetè admonuit hominem, cui mentis ſanitatem planè deeſſe putabat, qui homo cum eſſet, Deorum nomen ſibi adſcriberet. *Plut. in Lacon.*

DEMONAX rogatus, an Philoſophus etiam placentis veſceretur? Quid, inquit, num putas apes ſtultis tantùm mellificare? Placentæ melle condiebantur, ſacchari uſu nondum reperto. *Eraſm. lib.7. in apophthegm.* H

Idem quum videret Athenienſes hoc agere, ut Barbarorum exemplo, gladiatorum ſpectacula in urbem inducerent: Nolite, inquit, ò canes, iſtam crudelitatem priùs admittere in civitatem veſtram, quàm Miſericordiæ aram ſitis demoliti. Significans, non convenire, in ea civitate, in qua Miſericordia pro Dea coleretur, ſpectari pluſquam ferinam crudelitatem. *Eraſm. lib.8. apophthegm.*

CLEOMENES, Argivis profitentibus ſe prioris conflictus fortunam, in qua victi fuerant, iterato prælio ſarcire velle: Demiror, inquit, ſi duarum ſyllabarum acceſſione facti eſtis meliores, quàm eratis priùs. Verùm hujus dicti argutia Latinè reddi non poteſt. Græcis enim μάχεσθαι, pugnare eſt, ἀναμάχεσθαι verò redintegrare pugnam. *Plut. in Lac.*

Lacon quidam Gymnaſiarcham ligna ἄκαπνα exhibentem, facetiſſimo joco incuſavit, dicens, quòd per eum ne lachrymas quidem illi effundere daretur. Fumus quippè movet lachrymas. Acapna autem ligna inde dicta ſunt, quòd fumo careant. *Eraſm.8.apoph.*

Lacon quidam quotidie convivantem quendam, plagiarium ac tyrannum vocavit, per quem ipſe tot annis nunquam vidiſſet menſam ſuam. Joci autem lepos eſt in faceta fictione: plagiarium appellavit, quòd liberalitate ſua homines ſibi redderet obnoxios: tyrannum verò, quòd per illum non liceret cuiquam convivarum domi ſuæ vivere. *Eraſm.lib.8.apoph.*

Alius quidam, quum homines defunctos in ſellis ſedentes videret: Abſit, inquit, ut hìc ſedeam, unde ſeniori aſſurgere fas non eſt: oſtendit autem facetiſſimo dicterio, mortem horrorem incutere hominibus, vitam autem omnibus eſſe dulciſſimam. *Bruſon.l.4.c.20.*

Quidam iratus Agaſoni, volebat eum percutere; quumque is clamaret, Athenienſis ſum: ad aſinum verſus, At tu (inquit) Athenienſis non es; eique multas plagas inflixit. *Plut.de cohibenda iracundia.*

Philopoemen divertere volebat ad hoſpitium veteris amici. Quo cognito, juſſit hoſpes apparari, quæ neceſſaria eſſent alia ab uxore, dum interim ipſe obſonia appararet. Inter hæc Philopœmen ſolus (ut res ipſa ferebat) ad hoſpitium properat, quum venientem, ut ſolum, ut deformem, ut qui nihil ornatus haberet eximii, arbitrabatur mulier ex miniſtris eſſe aliquem, qui herum præveniret: cumque eſſet de adventu Philopœmenis mirificè ſolicita, etiam blandiendo rogavit eum, ſe ut adjuvaret ad dominum comiter excipiendum. Tum Philopœmen, ut erat perhumanus, cognito mulieris errore, confeſtim ſecuri accepta, & cuneo ligna findere, ad coquendam cœnam. Hoſpes interim, domum ingreſſus, cum animadverteret, Philopœmenem findendis lignis malleo incumbere: Proh, Jupiter! inquit, quid hoc Philopœmen? quid agis dum maximè? Ad ea Philopœmen: Pro deformitate, inquit oris, totiuſque corporis pœnas luo. Voluit ipſemet præbere de ſe hoſpiti, & ſibiipſi riſum. Res ſanè feſtivo ac faceto homine digna, quæque quò rarior, eò etiam fuerit lepidior. *Pontanus ex Plutarcho.*

Stratonicus muſicus cum in Pontum navigans, ad regem Beriſadem veniſſet, diu apud eum moratus, voluit illinc in Græciam adornare fugam. Verùm cùm id Rex non videretur paſſurus: Benè, inquit Stratonicus, cogitas, ò Rex, qui ſtatueris hìc manere. Quo dicto, facetè ſuam indicabat fugam & regis interim conſilium probabat, quaſi ille de migrando cogitaſſet, & ipſe, non niſi gravibus cauſis commotus, pararet abitum. *Athenæus.*

Idem ſe vehementer demirari ajebat Satyri ſophiſtæ matrem, quæ illum decem menſes tuliſſet, quem nulla civitas decem dies ferre poſſet. *Eraſ.l.6.apoph.*

Idem, in ſacrificio tibias inflaturo inſcito quodam tibicine, Bona ominari me oportet, inquit: Libemus jam, atque deos precemur. *Athen.l.5.*

Idem, Cleon citharœdus cognomine Bos, nec rectè pulſabat lyram, & voce plurimùm diſſonabat ab ejus fidibus: eum cum audiſſet Stratonicus: Aſinus (inquit) ad Lyram, adagium olim fuit; nunc autem dicendum, Bos ad Lyram, *Athen.eod.lib.*

Idem, quodam ſciſcitante, quænam eſſent tutiſſima navigia, rotunda, an longa? Reſpondit, quæ in terram ſubducta ſunt Rhodi cum artis ſpecimen exhiberet, applaudente nullo, abiit theatro relicto, ac dixit, quandoquidem id vos non præſtatis, quod nullius eſt impendii, quomodo à vobis ſperare munus aliquod viritim poſſum? Minnaco calceario de Muſica pertinaciùs cum ipſo altercanti, animum ſe non advertere, dixit propterea quòd ſupra pedis malleolum loqueretur. Affine huic dictum eſt Appellis: Ne ſutor ultra crepidam. *Athenæus eodem libro.*

Idem, ignarum medicum dicebat, ægros quos tractaret, uno die ad inferos migrarent, efficere. In agri Mileſii oppido quodam cùm variarum nationum miſcellanei homines habitarent, omnia ſepulchra eſſe peregrinorum, ac convenarum intuitus, Faceſſamus hinc, inquit, puer, ſoli videntur hìc alienigenæ mori, cives autem nulli. Maroneæ quæ civitas erat luxui ac compotationibus diffluens, cum quibuſdam potans ſi per civitatem oculis tectis duceretur, quo in loco civitatis eſſet, cogniturum ſe dixit. Opertis deductus oculis, interrogantibus, ubinam eſſet, In caupona, reſpondit: tanquam caupona foret tota civitas.

Victis Sicyone qui adversùs illum certaverant, in Æſculapii delubro Trophæum erexit, inſcriptionemque hanc addidit, Stratonicus de iis qui citharam malè pulſant. Cuidam ipſum laudanti, ut nonnihil muneris auferret, majorem ſe mendicum eſſe dixit. Pellæ ad puteum accedens, an eſſet potu ſalubris aqua, ſciſcitatus eſt: reſpondentibus, qui hauriebant, illam ſe bibere: Eſt igitur inſalubris, ait, quia luridi eſſent incolæ, & pallentes. *Athen. lib.8. ubi alia exſtant ejuſdem Stratonici jocosè dicta, quæ ſuis locis hoc opere continentur.*

Chriſtiana. *Ex collectis & editis per Laur. Beyerl.*

Quidam cum in tabernam veniſſet, ibidemque hoſpitis uxorem cum ancillis plus ſatis rixantem, in prandio ferre nequiret, hoſpes converſus ad hominem: Ecqua, inquit, hæc eſt tua impatientia? duos ego & triginta nunc annos hujus clamores & inſaniam dies nocteſque pertuli, tu verò ne horam quidem eam ferre potes? Quo dicto, & hominis impatientiam leniit, & uxorem ab ira in riſum commovit. *Adrian. Barlandus.*

Ludovicus XI. Gal. Rex audiens indoctum quendam inſtructiſſimam habere Bibliothecam, dixit, eum ſimilem eſſe gibboſo, qui molem in dorſo portans, eam numquam aſpiceret. *Corrozetus de dictis & fact. mem.*

Cæterùm ſi omnia illa perſequi voluerimus, quæ in hunc locum adduci poſſent, cùm de ratione Apophthegmatis ſit, habere conjunctam faceto acumini gravitatem, vererer, quòd manus ſcribentem deficeret, & ſolus hic titulus operoſo volumini materiem ſubminiſtraret. Ne tamen hìc etiam noſtris partibus deeſſe videamur, è multis pauca libavimus, huic loco propria. Viderat fortè B. Martinus ovem jam recèns tonſam, &c. *Euangelicum*, inquit, *mandatum iſta complevit: duas habuit tunicas, & unam largita eſt non habenti*; & ad diſcipulos verſus: *Ita & vos facere oportet. Sulpit. in ejus vita, Dial. 2.c.12.*

Idem, ſubuculum in veſte pellicea conſpicatus, *En*, inquit, *Adam ejectus de Paradiſo in veſte pellicea ſuos paſcit: ſed nos, illo vetere depoſito, novum Adam potiùs induamus. Ibidem.*

Quin & in re ſeria jocati aliquando plures. Marcus quidem Arethuſæ Epiſcopus innumeris cruciatibus ab infidelium turba affectus, & in ſublime ferventiſſimo æſtu levatus, ut apum veſparumque configeretur aculeis, in tortores jocatus: *Abjecti vos*, inquit, *qui humi repitis, erectus verò ego, & excelſo loco collocatus.* Verè excelſus, quem victrix tolerantia fecerat omni humana crudelitate ſuperiorem. *Theod. lib.3. hiſt. Eccleſ.16.*

Bellè etiam Ephraim Syrus. Tranſegerat jejunio plures dies, cibumque à miniſtro deferri ſibi mandat; at is ollam confringit, & obſonio pavimentum perfudit; quem pudore pariter ac timore correptum conſpiciens: *Bono animo*, ait, *fili, quandoquidem enim obſonium ad nos venire renuit; age, nos ad illud accedamus*; & ad ollæ fragmenta conſidens, comedit. *Nicephor. Call. lib.9.c.16.*

Intellexerat Nicolaus V. Pont. Rom. quoſdã eſſe in urbe, qui bonos doctoſque verſus concinnarent: & *Bonos*, ajebat, *eſſe nego: cur enim ad me illi non deferuntur, qui etiam malis pateo?* Moleſtè ferebat homo ſapiens, eſſe in ſua urbe viros doctos, & à ſe ignorari. *Hermol. Barbarus, in Præfat. Caſtigationum ſuarum in Plinium.*

Faſtidio ejuſmodi narrationem. Quis enim modus, ſi omnia enumeravero? Tamen ut ad politicum latus me conferam, pauca ex illo depromam, & quidem in Francia video Ludovicum Craſſum. F. R. Hic in prælio contra Anglorum regem ab equite quodam urgebatur, qui etiam apprehenſo per frænum equo, Regem captum inclamabat; at ipſe, gladio exerto, equitem obtruncat, dicens: *At ne quidem in latrunculorum ludo ſolus Rex capitur. Corrozet.*

Ejuſdem ut nominis & regni, ita leporis hæres Ludovicus XI. Intellexerat Franciſcum, qui poſtmodùm regni gubernaculis ſucceſſit, ſpe proventuum percipiendorum, magno ſe ære alieno gravare; unde anxium eum compellat: *Vacuo*, inquiens, *animo ſis oportet*; & hanc fabellam ſubjungens, *Equitabam*, dicebat, *quandoque cum patre, & proximus mihi videbar urbi: viſiſque templorum pinnis, cum in via languerem, En, ajo, pater, confecta via. Aberamus adhuc ſtadiis pluribus: ille autem ad me: Adoleſcens*, inquit, *ne poſthac viſis templorum pinnis, iter te executum arbitrere*; tacitè innuens, indignum eſſe, ſpe & ſpecie largitionis, nondum adepti principatus commoda percepturum ſe exiſtimare. *P. Æmil. in vita.*

Cuidam ob vulnerum cicatrices in facie acceptas glorianti: *Hæ ipſæ verò*, inquiebat, *tibi monumento futuræ, ne fugiens unquam faciem avertas. Corrozetus.*

Quanta

Quanta verò in Roberto Normanniæ Duce venuſtas, audite. Profectus erat religionis ergò Solymam, & in itinere morbum contrahit, qui eum à progreſſu retardaret. Quid tandem? Locorum agreſtes, dato pretio, accerſiri imperat, qui Principem humeris ſuis per reliquum viæ deferrent. Intereà è domeſticis unus Normandiam repetit, & numquid ſuæ genti nuntiatum velit, Regem interpellat. Ille: Dices vidiſſe te dæmones ferentes Robertum Ducem in cœlum; innuens ſe ab idolorum cultoribus geſtari, quos dæmonibus comparabat, & Hieroſolymam cœlo. *Pol.lib.8.*

De eodem quoque memoriæ proditum, quòd Conſtantinopolim profectus, cùm perbenignè à Conſtantino exciperetur, qui & altiores ſellas ſine pulvinaribus tam illi, quàm cæteris Normandiæ Ducibus apponi curaverat, continuò veſtem exuerit, eamque globi inſtar complicatam ſibi ſuppoſuerit: quod ipſum etiam comites imitati. Exempta autem jam epulis fame, omnes veſte relicta receſſere. Monet abeuntes Conſtantinus ſubridens, indumenta reſumerent. Ad quem Dux; Non eſt, inquit, mos Normannis, ſedes ſecum deferre. *Ibid.*

Maximilianus Imp. à mendico frater ſalutatus, & fraterno amori condignam eleemoſynam elargiri rogatus, ubi ab Adami ſtirpe hanc conſanguinitatem deduxerat; obolum unum duntaxat dari juſſit, adjiciens: Abi, & à quolibet fratrum ſi tantumdem receperis, crede, brevi me divitiis ſuperabis. *Corrozet. de Factis memor.*

Seriùs quidem in omnibus Alphonſus Rex Aragoniæ, & ſupra modum prudens, in faceto etiam hoc agmine non infimum locum accepit. Senenſibus quippè, qui ſe bello Italico quaſi medios continuerant, ita ut in neutram partem inclinarentur, per diviſos jam milites ſpoliatis, dicebat: Verè Senenſibus evenit, quod iis ſolet, qui mediam domum incolunt; ut ab infernè habitantibus fumo, à ſupernè verò urina vexentur. *Panor. lib.4. de reb. geſt. Alphonſi.*

Habebat Jacobus Alamanus, homo Chriſtianus quidem, at Judæis parentibus natus, venale D. Joannis aureum ſimulacrum, quingentorum aureorum pretio coemendum. Ad quem Alphonſum ſubridens: Non tu ſanè ineptus es, & majoribus tuis diſſimilis, diſcipuli & præcurſoris imaginem tanti æſtimans, cùm illi Joannis magiſtrum, & Regem Judæorum non niſi triginta argenteis vendiderint. *Panorm. lib.1. de geſtis ejuſdem.*

Ferunt etiam, Coloniæ Agrippinæ pictorem, ſed & potorem (hoc enim illi generi commune) ſolitum Chriſti imagines apud caupones pignori dare: rogatumque, cur non divenderet potiùs ampliori pretio; reſpondit: Ergo me Judæum, quàm Chriſtianum mavultis? Abſit. *Aen. Sylv. lib.1. Com. de reb. geſt. Alphonſi.*

Thomas Morus quoque ſuam gravitatem tot Reip. muneribus comprobatam, ita ſuavi quadam urbanitate condivit, ut neſcias, an fuerit Senator gravior, an amicus jucundior. Proponebat Cardinalis VVolſæus in Concilio expedire Reip. eligeretur aliquis, qui Regis abſentis perſonam repræſentaret: ſeque pro eo declarandum inſinuabat. Annuunt omnes, uno Moro excepto; quem ira commotus Cardinalis compellans, Oſtendis, ait, More, te ſtultum conſiliarium, qui ſolus reſiſtas. Cui Morus è veſtigio: *Magnæ ergo gratiæ Deo agendæ, quòd majeſtas Regia in hoc ſuo Senatu unicum tantùm ſtultum habeat. Thom. Staplet. in vita, cap.13.*

Idem Theatrum, ſupplicii locum, conſcenſurus, manum ſibi, quò faciliùs aſcenderet, porrigi poſtulabat, dicens: *Juva me ut conſcendam, in deſcenſu nemini moleſtus futurus.* Ita ex facilitate ingenii ſimiles facetias, etiam rebus graviſſimis inſperſit. *Ibid.*

Intuebatur Nicolaus Florentinus equitem plurimis aureorum torquium circa collum ſpiris incedentem; & egregiè ludens, *Hem!* inquit, *cæteri ſtulti unica vincti catena tenentur: at hujus tanta eſt inſania, ut pluribus vix queat coerceri. Poggius in Facetiis.*

Coquus quidam cùm præ ſenio Mediolanenſium Principi ampliùs deſervire vix poſſet, unicum ab eo in gratiam omnium meritorum poſtulavit ſibi præſtari; quo rogante: Quidnam illud? *Vt aſinus etiam fiam*, reſpondit; ac ſtultæ petitionis cauſam ſciſcitanti Principi, *Quia*, ajebat, *video eos quos extuliſti adeò ambitione & ſuperbia inflatos, ut jam pœnè in aſinos tranſierint. Ibid.*

Mare inſuetum peragrabat Mercator, & fortè præ nimia agitatione ſtomachum evacuare compellebatur, cui ex adſtantibus alius: *Verè tu gratus es, & beneficii memor: quòd piſces, qui te toties pavere, repaſcas. Th. Morus in Epigram.*

Ejuſdem leporis etiam iſtud. Ad convivium vocatus inurbanus quidam, poculum ab altero accepturus, vidit in eo muſcas demerſas; quas dum collegiſſet, hauſto poculo, rurſus eas injecit: mirantur convivæ, & cur id agat, inquirunt: ad quos ille: *Ego quidem muſcas nunquam ſumo: ſed neſcio, num quis veſtrum eas pro deliciis habeat.* Brevi Epigrammate id complexus eſt *Thomas Morus*;

Muſcas è cratere tulit conviva priuſquam
Ipſe bibit: reddit rurſus ut ipſe bibit.
Addidit & cauſam, Muſcas ego non amo, dixit:
Sed tamen è vobis neſcio num quis amet.

Facetum quoque eſt, quod de quodam Logices ſtudioſo memoratur. Qui cum pertæſus ſtudii illius ſatis tetrici, cogitaret ſe totum Religioſo Ordini dedicare, hunc aſſiduè decantabat verſiculum:

Linquo Coax *ranis*, Crax *corvis*, Vanaque *vanis*
Ad Logicam pergo, quæ mortis non timet Ergo.

Refert Lorinus in cap.12. Eccleſ.

Quidam Religionis & Ordinis ſacri deſertor, ad peſtilentiæ cathedram Batavos ſe contulerat. Ubi rogatus apoſtaſiæ cauſam, non alteram protulit, quàm Fidem. Subriſit ille, Ecquę ait, Fides te huc impulit, & cujus generis apud te ea eſt? Fœminini, reſpondit. Tum alter, verè dixiſti: Fœminina fides ſeduxit te: nec te alius ſpiritus impulit, quàm fornicationis, ut ſponſam Chriſti deſereres. Scitè *Andreas Fruſius in Epigramm.*

Vna fides cum ſit, quam nos docuere parentes,
Cur nunc tot fidibus luditur una fides?

☞ *Videantur nonnulla in loco de joco.*

---

* Facies.

DEFINITIO ET ETYMOLOGIA.

FAcies Græcè πρόσωπον, eſt propriè anterior pars humani capitis, conſtans fronte, oculis, naſo, ore, mento: à factura corporis nomen habet, ut à fingendo figura. Volunt Grammatici, in hoc faciem differre à vultu, quòd hic, juxta Servium, ſit voluntatis indicium, ac pro illius varietate mutetur. Quomodo dicit Virg. *Spem vultu ſimulat.* Sumuntur tamen plerumque pro iiſdem.

Perottus vult, faciem à faciendo deduci: quòd qui aliquid facit, rei faciendæ faciem & imaginem inducit. At veriùs fortè à facie ipſum facio deducemus: faciem verò à φάω, id eſt, luceo, ſive ſplendeo. Splendet enim in facie hominis illius dignitas præ aliis animantibus. Unde Ovidius:

Pronaque cum ſpectent animantia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

NOTÆ CUM NATURALES, TUM FORTUITÆ VARIARUM RERUM, EX FACIE ELUCENTES.

In facie humana eximiæ quædam notæ occurrunt, quibus bruta facie carentia minimè donantur; neque in aliis membris humani corporis apparent. Hæ ſunt:

1. Numerus, varietas & ſtructura partium. In brutis mentum, genæ, frons non apparent, nec ulla juſta deprehenditur ſymmetria.

2. Color multiplex in oculo notatur; niger, albus, viridis, cæruleus, rubeus, cryſtallinus.

3. Proportio: ſenſus duplices invicem ſibi reſpondent, ac tam bellè conveniunt, ut oculi & oris eadem ſit magnitudo frontis latitudo, naſi longitudinem æquet: menti, labiorum & naſi ſpatium idem ſit.

4. In facierum figura miranda planè diſſimilitudo nec enim per omnia ſibi ſimiles facie duos in orbe toto deprehendere homines quis poterit? Opus equidem perfectum, quod in nulla alia re reperitur. Porrò præſtans hæc varietas, admodùm utilis, imò hominum ſocietati imprimis neceſſaria. Si alii alios non internoſcerent, mala inde innumera naſcerentur: humanum genus periret funditùs. Huic ſoror pro filia, pro extranea occurreret, amicus hoſtis reputaretur. Diſſimiles facies hominem cum homine confunderent: homines pecudibus ſimiles diſtinguere non poſſent.

5. Mi-

A 5. Mirandum naturæ artificium, quæ in facie arcanum neſcio quod incluſerit, ut quævis facies alicui arridere poſſit. Etenim nulla facies tam deformis apparet, quæ alicui aſpicienti non arrideat.

6. Dignitas & decor in rotunditate, forma ſublimi & erecta, nuda, aperta, glaba, implumis, ſine ſquammis, uranoſcopus.

7. Elegantia, ſuavitas, venuſtas adeò lepida grataque, ut corda ſurripiat, affectus alliciat & trahat volentes. In ſumma, faciem nominamus pulchritudinis & amoris thronum, riſus & oſculi ſedem. Hæc duo autem homini conveniunt, nempè graviſſima, certa, expreſſa amicitiæ mutuæque benevolentiæ ſymbola.

8. Cunctis mutationibus internas animæ paſſiones & velitationes aperientibus humana facies aptata cernitur, teſtibus lætitia, triſtitia, amore, odio, livore, malitia, verecundia, iracundia, ſtomachatione, zelotypia: aliis index eſt horologii, temporum intervalla momentaque demonſtrans, cujus machinæ ac rotæ intùs moventur. Aer eſt, in quo colores, temporiſque mutationes omnes recipit, & μικροκόσμου ſta-B tum declarat. Galli eo ſenſu de faciei aere (*De l'air du viſage*) loquuntur. Corpus animam tegit & detegit: in facie legitur homo.

9. In fronte patula, quadrata, exporrecta, aperta, ſerena; ſuperciliis rectè diſpoſitis, tenuibus, levibus; oculis apertis, lætis, micantibus; naſo oblongo, ore puſillo, labiis corallinis, buccis modicùm obeſis in medio, quarum grati gelaſini ſedes, auriculis rotundis & brevibus, faciei vivido, albo, rubro colore inſignitæ decor, pulchritudoque conſiſtit. Hanc effigiem multi improbant. Apud Indos color muſtellinus, labia craſſa, naſus repandus, dentes nigri vel rubri, auriculæ patulæ & oblongæ; mulieribus frons brevis & piloſa, mamillæ monſtruoſæ, quæ ob longitudinem ſupra humeros infantulis lactentibus præbentur, ſumma putatur venuſtas.

10. Hiſpanis, ne longiùs abeamus, macilentæ facies, Italis carnoſæ placent admodùm. Alii molli & tenera, alii rigida, maſcula & ſuperba delectantur.

11. Corporis verò ipſa decora formoſitas; facies præſertim teſtis eſt, vel eſſe debet pulchritudinis internæ. Hæc au-C tem in eo conſiſtit, ut æqualia rectaque ſint judicia, atque in iis retinendis & conſervandis conſtans perſeverantia. Nihil enim veriſimilius videtur, quàm corporis & animæ conformitas atque relatio. Si abſit, aliquid accidiſſe putandum eſt, quod naturæ ordinem abrupit: ſicuti ſæpiùs factum apparuit. Lac enim nutricis, prima educatio, conſortia, teneris animis miras converſiones in bonum, vel in malum adferunt.

12. Fatebatur Socrates, faciei ſuæ deformitatem ſatis ſuperque detegere pudendos animæ defectus, quos philoſophiæ conſiliis emendaverat. Cæterùm vultus ſimulatus, periculoſus debiliſque, eſt animæ fidejuſſor. At quicumque phyſiognomiam ſuam explodunt, graviore ſupplicio digni reputantur, utpotè qui corrumpunt atque produnt, quam in frontibus ipſorum natura laudatam promiſſionem inſculpſit, & cæteris hominibus fucum faciunt. *Petr. Varro, in tract. de hominis opificio, c. 14. 2. partis, ſect. 5.*

ANIMI MORUMQUE INDEX
Facies.

D Plerumque ex facie & externo corporis habitu animus elucet: & prout diverſæ rerum imagines animum percellunt, ita etiam varium in faciei conſtitutione habitum inducunt, & figuras motuum internorum indices imprimunt: modò iratum videmus, modò blandum vultum, modò triſtem, nunc hilarem. Exempla pauca addemus vitiorum & virtutum, quæ ex ſola faciei habitudine, corporis adfectu, prudentiores elicuere.

VITIORUM INDEX.

De vitiis habemus inſigne exemplum in Juliano Cæſare, qui vulgò Apoſtata dictus eſt: Nazianzenus enim quamprimùm eum aſpexit, conjecturam de ſuis moribus & ingenio ſumpſit. Hæc ſunt ejus verba, *orat. 2. contra gentiles*, & refert *Socrates lib. 3. capit. 19. Hiſt. Eccleſ.* Fecit me vatem geſtuum ipſius deformitas, & ingens admiratio; ſiquidem optimus eſt vates, qui ex conjecturis optimè ratiocinatur. Nequaquam verò mihi hæc boni hominis ſigna eſſe videbantur: E colli crebræ converſiones: humeri alternis ſubſultantes: oculi torvi, vagabundi, & furioſum quiddam contuentes: pedes inſtabiles, crebræ geniculationes. Naſus contumeliam & contemptum ſpirans. Figura vultus deriſionem ſignificans, quomodo variabatur? Riſus crebri altùm crepantes: nutus, renutus ſine ſermone, ſermo interruptus, non complens ſententiam, interrogationes crebræ & ſtultæ, reſponſiones inconcinnæ & coacervatæ, inter ſe diſſidentes, & ſine ordine. Quis ſingula deſcribat? Talem vidi ante facta, qualem poſtea facta ipſa oſtenderunt. Ut adeſſent, qui tunc mecum fuerunt, & eadem viderunt, teſtes eſſent hujus meæ narrationis: qui meminerint etiam me edidiſſe hanc vocem: Quantam peſtem Romana Monarchia nunc alit!

VIRTUTIS ET EXCELLENTIÆ.

De hac re habemus exemplum in Ulyſſe: Eum enim naufragio ejectum in littore, nudum veſtibus, virtute tamen ornatum, Phæacum multitudo conſpiciens, cæteris fortunatis F Phæacibus venerabiliorem admirata eſt. Quamobrem & Poetarum princeps Homerus ſubjicit, debere virtutem mortalibus eſſe curæ. Magna enim, teſte Plutarcho, eſt vis virtutis apud omnes gentes: cum non ſolùm bonos, ſed etiam improbos ad ſe amandum alliciat.

Alterum non minùs memorabile eſt in Trajano; qui cum Agarenos in urbe quadam, ut refert Dio, obſediſſet, ejuſque muros ſine regio ornatu, ut hoſtem falleret, circumiiſſet: Generoſa, inquit, canicies & oris majeſtas principem prodidit: & quis foret in ementito habitu, facilè oſtendebat. In eum igitur hoſtes, quem Regem ſuſpicati erant, ſagittas frequentes conjecere: quarum tanta vis fuit, ut qui penè Cæſarem ſequebatur, transfixus fuerit. Siquidem, teſte Qu. Curtio (*libro 6. de geſtis* Alexand. M.) hominibus barbaris in corporum majeſtate veneratio eſt: magnorumque operum non alios capaces putant, quàm quos eximia ſpecie donare natura dignata eſt. *Phil. Camer. in hor. ſuccis.*

Suetonius quoque de Veſpaſiano ſcribit, quòd in puero ſtatim corporis animique dotes explenduerint magis ac G magis deinceps per ætatis gradus, forma egregia, & cui non minùs authoritatis ineſſet, quàm gratiæ. *Idem.*

Sic de oculis habemus egregium exemplum apud Livium *libro 7. decad.* 1. Memoriæ enim tradidit, quòd oculi Romanorum viſi ſint ardere in prælio Samnitibus.

Et Aquilejenſes milites, qui ſubitò eruptione ex occulto cuniculo facta Attilam paucis comitatum invaſerant (quem tamen non noverant) poſtea faſſi ſunt, ſe nulla re magis perterrefactos fuiſſe, quàm quòd in oculis ejus ſcintillas velut igneas, cum pugnans eos fremebundus aſpiceret, emicantes conſpexerint: ſicut Nicolaus Olaus ſcribit. Non fruſtra igitur Cornelius Tacitus dicit: Primi in omnibus præliis oculi vincuntur.

Sic in hiſtoriis legimus, C. Marium, à Minturnenſibus percuſſorem immiſſum vultus authoritate deterruiſſe: ob eamque rem incolumem dimiſſum, ut Plinius teſtatur. *Idem. Philip. Camer. in horis ſucciſivis.*

FACIES NON DETURPANDA
Characterum notis. H

Quamvis pleraque Imperatorum decreta, certa ſtigmata inuri velint pleriſque malefactoribus, idque certis duntaxat corporis membris; tamen etiam apud pleroſque Gentiles cautum ſemper fuit, ne facies, eorum impreſſione fœdaretur. Quamvis Romæ calumniatorum frontibus inuſtam olim litteram, L, Z, *Cicero pro Roſcio Amerino* teſtetur.

Conſtantini Imperat. lex talis eſt, *L. ſi quis in metall. 17. de pœn. lib. 9. c. tit.* 47. Si quis, inquit, in metallum fuerit pro criminum deprehenſorum qualitate damnatus, minimè in ejus facie ſcribatur, cùm & in manibus, & in ſuris poſſet pœna damnationis una inſcriptione comprehendi, qua facies, quæ ad ſimilitudinem cœleſtis imaginis figurata, minimè maculetur.

☞ *Conſule locum de Fuco. Item de notis ſervilibus In loco de Scriptione.*

Facilitas.

A

Facilitas.

DEFINITIO, ET ETYMOLOGIA.

FAcilitas, Ῥᾳςώνη Græcè, eſt promptitudo ad quidpiam abſque difficultate & expeditè faciendum, ſive inclinatio ad eandem. Ubi ſub verbo faciendi, etiam comprehendimus ſermonem vel orationem. Ita dicimus quempiam facilem in carmine, oratione ſoluta, &c. Differt à propenſione, quæ & proclivitas dicitur, quòd plerumque hæc accipiatur in partem deteriorem.

¶ FACILITAS IN IMITANDO, Inveniendo, Docendo, Diſcendo, Scribendo, Dicendo.

☞ *ſub ſuis locis, Inventio, Imitatio, Diſciplina, Scriptio, Dictio facilis.*

B ¶ COMMENTANDO.

Cùm de cæde in ſylva Scantia facta publicani accuſarentur, & C. Lælius pro publicanis bis dixiſſet, verùm à Ser. Galba meliùs cauſam illam defendi poſſe arbitraretur, quòd in dicendo fortior acriorque eſſet: auctoritate Lælii, publicani cauſam ad Galbam detulerunt. Ille autem, quòd ei viro ſuccedendum eſſet, verecundè & dubitanter recepit; unum quaſi comperendinatus medium diem fuit, eumque totum in conſideranda cauſa componendaque poſuit. Et cùm cognitionis dies adeſſet, Petrus Rutilius rogatu ſociorum domum ad Galbam manè venit, ut eum admoneret, & ad dicendi tempus adduceret. Galba verò, uſquequò ei nunciatum eſſet Conſules deſcendiſſe, omnibus excluſis commentatus eſt in quadam teſtudine cum ſervis litteratis, quorum aliud alii dictare eodem tempore, & ſi erraſſent, malè eos multare ſolebat. Interim cùm eſſet ei nunciatum, tempus eſſe, in ædes exivit eo colore, & iis oculis, ut egiſſe jam cauſam, non commentatus videretur. Ex quo colligi poterat, illum non in agendo ſolùm, ſed etiam in meditan-C do vehementem atque incenſum fuiſſe. Magna itaque expectatione, plurimis audientibus, tanta vi gravitateque dixit, ut nulla ferè pars orationis ſilentio præteriretur. *Cicero in Bruto.*

¶ VERSUS FACIENDO.

L. Annæus Seneca moriens jam in ſolo aquæ calidæ, Epitaphium carmine ſibi ipſi compoſuit.

Boetius Severinus Rom. patricius mira fuit in verſibus facilitate. *Gyraldus de poetis.*

Cicero dexteritate in verſibus condendis animi gratia utebatur. Dicitur, cùm ad id ferretur, carmina facere una nocte quingenta ſolitus. *Plutarchus in Cicerone. Quære Titulum de Carmine.*

¶ ORACULA DANDO.

Pythia ſacerdos Apollinis nondum rogata, ex tempore dictiones aliquando dare ſolebat. Quippe cui ſervit; Deus

D *Καὶ κωφοῦ ξυνίησι, καὶ οὐ λαλέοντος ἀκούσει.*
Et tacitum exaudit, mutumque intelligit omnem. Plut. de Garrulitate.

* RES LEVES TRACTANDO.

In cauſa facili civis quemvis licet eſſe diſertum,
Et minimæ vires frangere quaſſa valent.
Subruere eſt arces, & ſtantia mœnia virtus.
Quamlibet ignavi præcipitata premunt.
Ovidius l. 3. Triſt. Eleg. 11. Similiter Manlius ait:
—*Facile eſt ventis dare vela ſecundis,*
Fœcundumque ſolum varias agitare per artes,
Auroque atque ebori decus addere, cum rudis ipſa
Materies niteat, &c.

E

* Factio. Factioſi.

DEFINITIO ET USURPATIO NOMINIS, ITEM FINIS IN Genere.

FActio & factioſus, *teſte Feſto*, initio honeſta vocabula erant; unde, inquit, adhuc factiones hiſtrionum & quadrigatorum dicuntur: modò autem nomine Factionis, ſeditio, arma vocantur, συνεργίαι; imò & αἱρέσεις Græcis dictæ Et definiuntur, malorum conſpirationes. Nonius Marcellus, & opulentiam rerum, abundantiam & nobilitatem, ſignificare Factionem notat; ſed maximè factionem dici malorum conſenſum & conſpirationem. Ut & dixit *Saluſtius in bello Jugurthino*, inter bonos amicitiam, inter malos factionem. Fuerunt enim ab omni ſeculo ferè ubique tales factiones, vel bonæ ad bonum, ad ſe defendendum, & ſe mutuò juvandum; vel malæ ad invadendum reſpublicas, aut regnum, aut magnates, aut ad obſiſtendum juſtè vel injuſtè poteſtatibus. F

FACTIONUM, ET FACTIOSORUM Exempla.

Fuerunt in Sicilia factiones partium: & in omni Græcia, ut Doricæ potiſſimùm & Jonicæ. Inter Dores erant Lacedæmonii: inter Jones Athenienſes. Athenas quoque in tres factiones diviſas referunt, in Diachreos, Pædios, & Paralios: aliquando in duas, Thucydidis unam, Periclis alteram: aut in Plebejorum, cui Poliarchon; & Optimatum, cui Caſſander præerat. Nonnumquam in plures, & Theſſaliæ factiones diviſæ in Egeſtaretes & Petieros: & in Argo, Ariſtippi & Ariſtæi. Apud Mileſios, una Plutis, altera Cheromacha factio fuit: ſicut apud Carthaginenſes, Barchina, & Hannonis. *Aemilius Probus in Phocione.* Etiam in Circo apud Romanos quatuor genera factionum erant, ſive potiùs quatuor aurigantium factiones, pannorum coloribus diſtinctæ Meminit Sidonius.

Micant colores, G
Albus, & Venetus, virens, rubenſque. Vide Caſſiodor. l. 3. Epiſtol.

☞ *Plura exempla petantur ex loco de Inimicitia Tit. Factiones Politicæ.*

FACTIONUM EFFECTUS ET FINIS in specie.

Subversio Rerumpublicarum, Regnorum, &c.

Etiam ex loco allegato pleraque deſumi non importunè poterunt, quibus ſequentia adjiciemus, è quibus conſtabit, verum eſſe illud Baldi Juriſconſulti dictum, partialitatem in civitate & Regno, eſſe inſtar vermis in caſeo: ac non malè Platonem dixiſſe *lib. 3. In Menexemo*, quòd Athenienſes (idem obtinet in aliis factioſis) ſuis ipſorum diſſidiis oppreſſi fuiſſent. Neque enim alius inter claros viros ac potentes exitus diſcordiarum eſſe ſolet, niſi aut interitus univerſus, H aut victoris dominatus.

Olim ſtatum rei Romanæ ſubvertit crudelis ſeditio, quæ hinc Cæſarem, illinc Pompejum complectebatur. Quippè inquit *L. Florus lib. 4. Rer. Romanar.* ſi duces inſpicias, univerſa multitudo diviſa fuit in partes, & ipſe Senatus, & exercitus; hinc undecim legiones, inde 10. & 8. flos omnis & robur ſanguinis Italici: item diviſa auxilia ſociorum, Gallici Germanici delectus: hic ſecuta dominatio unius Julii Cæſaris, ſuis ipſis viribus pereunte Roman. Republ. Vetus eſt proverbium: Concordia res parvas creſcere, diſcordia maximas labi & corruere: quæ & de Rep. qualibet dicta eſſe non ambigitur.

Narrant Hiſtoriographi, quantum detrimenti Britannia ſeu Anglia receperit ex factionibus, quas vocant partialitates, domorum ſeu familiarum Leucaſtri, & de Joriz. Quantùm item in Anglia nocuerit factio duarum domorum, Aureliæ, & Burgundiæ, quæ cœpit inter Ludovicum ducem, Aurelianenſem Fratrem Caroli VI. Regis Galliarum, & Joan-